

tuum verò ad dignitatē & præclaram famam
 autoritate & celebritate nominis sui pluri-
 mum contulit. Itaque adventu tanti viri Li-
 psiaë pietatis, linguarū & artium studia, qui-
 bus liberales doctrinae, & artes ingenuae con-
 tinentur, cum antea languere, & vix è Ponti-
 ficia barbariae emerfura esse viderentur,
 protinus effloruerunt, & similes alii divini
 atque humani juris consultissimi, rerum-
 que optimarum peritissimi viri Camerario
 adjuncti sunt. Ex quorum numero Bern-
 hardus Zieglerus, Alexander Alesius, Pe-
 trus Loriottus, & Joachimus Reticus fuere.
 Ac Zieglerus quidem è nobilitate Misnica
 in Theologiae studio excellens, & in literis
 Hebraicis ita eruditus fuit, ut Hebraeorum
 magistros, si qui offenderentur, disputando
 exagitaret, & ex Vaticanis oraculorum di-
 vinorum libris vi verborum & natura ora-
 tionis Hebraeae argute inclusos pervicaciae
 atque erroris manifeste convinceret. Ale-
 sius verò natione Scotus, disputator subtilis
 non solum divinis literis egregie edoctus e-
 rat, sed & spinosam Scoti & Aquinatis disci-
 plinam perceperat & quaestiunculas, quas
 illi argutiis suis persequuntur, artificiose
 dissolvere, argumentis que ex scriptura sa-
 cra

cra